



G.

Q. II, 109.


Ant. I, 264. etc.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.
- 12.
- 13.
- 14.
- 15.
- 16.
- 17.
- 18.
- 19.
- 20.
- 21.
- 22.
- 23.
- 24.
- 25.
- 26.
- 27.
- 28.
- 29.
- 30.
- 31.



Conspectus.

1. Albinus, Joh., Oratio in anniversaria memoria obitus illi Princ. Saxoniae Mauricii pronuntiata. Lipsiae 1572.
2. Schumacher, Amr. Aug., De singularibus divinae providentiae documentis in Mauricio Duce et Electore Saxoniae observatis. Lipsiae 1749.
3. Ej. progr. De egregiis divinae provid. signis in divo Mauricio Saxone. perspectis. Lipsiae 1750.
4. Wendler, Joh. Chph., Merita seren^{orum} Saxoniae Electorum ac Ducum lineae Albertinae in ecclesiam ac litteras politiores. Jenae 1714.
5. Josner, Lo. Casp., Panegyricum rever. seren. Principis Mauriti Guilelmi. Jenae 1714.
6. Roessig, Car. Gottlob, De Augusto I. Electore Saxoniae. Lipsiae 1784.
7. Schumacher, Amr. Aug., De Augusto I. Electore Saxoniae. Lipsiae 1751.
8. Ej. progr. De Augusto I. ob merita in rem sacram et civilem admirabili. Lips. 1752.
9. Boelmii, Joh. Gottlob, De Augusti Saxoniae Ducis singulari in litterarum et artium studia amore. Lipsiae 1764.
10. Acad. Lips. progr. De Augusto Elect. Sax. meritis circa religionis reformationem. Lips. 1743.
11. Gotter, Frid. Gotthelf, et Guil. Chr. Gebhard, De statu Saxoniae tempore Augusti. Jenae 1707.
12. Schubert, Ge. Ad., De meritis Elect. Augusti in iurisprud. Saxon. Lips. 1719. f.
13. Maior, Joh., Exequiae Principi Augusto Duci Sax., Electori etc. habitae. Witteb. 1586.
14. Ej. Parentatio Principi Augusto Electori Sax. etc. tertiana facta. Witteb. 1589.
15. Ej. Parentalia anniversaria Duci Augusto Elect. Sax. etc. secundum habita. Witteb. 1588.
16. Mylius, Ge., Oratio funebris de Augusto Pacifico Justo etc. Wittebergae 1586.
17. Furmaniac, Or. fun. de Augusto Duce et Elect. Sax. etc. Lips. 1586.
18. Selnecker, Christian. b. d. Dnyrger Augusti Herzogge in Passer. Nitzburg 1586.
19. Albinus, Joh., Oratio in morte Augusto tertio p. etc. ob. anno habita. Lipsiae 1588.
20. Schilber, Zach., et Albinus, Joh., Princ. Augusto Duci Sax. Parentalia Lips. 1586.
21. Mirus, Mart., Vri. Inft. Nitzburgischer Nbr. des pl. Alffrid der Fürstn. Cunn. Erf. 1586.
22. Ej. Nitzburg. Nbr. d. pl. Alffrid der Fürstn. Cunn. vnt. Nitzburger z. Nuffen. Dr. 1585.
23. Coetzel, Ge., In obitum Augusti Ducis Sax. carmen elegiacum. Dreßdae 1586.
24. Boerner, Chr. Frid., De Joanne Frederico Magnanimo. Lips. 1747.
25. Kappius, Jo. Erh., De religionis ante ducentos annos in Sax. et Albn. statu. Lips. 1739.
26. Hertzog, Ge. Lud., Oratio de clavis propter Muhlbergam caustis. Jenae 1736.
27. Arndt, Gottfr. Aug., Nonnulla de ingenio et moribus Mauriti Elect. Sax. Lips. 1806.
28. Ziegler, Chr. Fr., Proelium Mauriti Duci Sax. victori iuxta Sivershuden factis etc. Witteb. 1778.
29. Hempel, Mich., Descr. Tacelli in quo Electorum, etc. monum. et con. Fuldae Lips. 1604.
30. Neckenstein, Laur., Synopsis vitae etc. trium Principum Sax. Mauriti Augusti et Christiani. Jenae 1597.
31. Id. lib. Ead. ed. [die 2. hystor. Christen. fasser]



Oratio
IN ANNIVERSA-
RIA MEMORIA LV-
CTVOSISSIMI OBITVS IL-
LVSTRIS. ET FORTISSIMI
PRINCIPIS D. SAXON.
MAVRICII, vnus ex Septem-
uiris Imperij Romani;

Ab artium bonarum Magistro
IOHANNES ALBINO
in solenni conuentu ad id ipsum indicto,
Pronuntiata D. XI. M. Quin-
tilis. An. Christi Iesu

M. D. LXXII.




L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat.


70./






ILLVSTRIS.
PRINCIPIBUS AC
DOMINIS, DN. GEORGIO,
DN. ALBERTO, ET DN. STANISLAO
Radziuuiel, FRRR. Ducibus Lithuaniae,
in Olyka & Niesuiesz, Comitibus
in Szidlouuiecz, &c. Principi-
pibus & Dominis suis
Clæmentissimis:

S. D.

 *VM nuper, Illustrissimi
Principes, mandato Ma-
gnifici U. Rectoris Aca-
demiae nostrae, quemadmo-
dum fieri solet, de Illustris.
atq; fortis. Principe D. Saxon. Mau-
ricio uno ex septemuiris Imperij Romani,
quaedam à me recitarentur, celebrantia me-
A 2 moriam*

EPISTOLA

moriam Illustriss. excelſitatis ipsius, & de-
 plorantia tristiss. casum mortis: subiectiss.
 sanè cupiditate optavi animo meo, Vestrae
 Illustriss. clamentiae licuisse, & ipsi tunc
 adesse in illius conuentus honestiss. fre-
 quentia, ita enim hic per se spectatus, mul-
 to tamen splendidior atq; luculentior fuisset.
 Nam ut vniuersae scholasticae in hac Vrbe
 congregationi, Illustriss. vestrae celsitudi-
 nis praesentia atq; clamentiss. adiunctio exi-
 mium decus, & memorabilem commenda-
 tionem affert, Sic congressibus singularibus
 indidem praecipuum accedere ornamentum
 necesse est. Cum enim vniuersae scholasticae
 congregationi inprimis gloriosum sit, quod
 vestra illustriss. clamentia hanc Acade-
 miam praeceteris suo iudicio delegit, in qua
 studia pietatis & sapientiae illa coleret, per-
 tinet etiam profecto ad singulorum in hac
 coetuum

DEDICATORIA.

coetuum bonam existimationem, eiusdem
augens hos Illustriss. conspectus claritas.
Et publico igitur & meo priuatim nomine,
subiectiss. consideratione optavi Vestrae Il-
lustriss. celsitudini adesse licuisse tunc, cum
à me argumentum Mauricianæ recor-
dationis explicaretur. Sed id cum ratio
rerum scilicet Illustriss. Celsitudinis Vestrae
non sit passa (Nam de benigniss. volun-
tate nemo dubitat, quæ multis speciosis si-
gnis est declarata) Vestrae Illustriss. clæ-
mentia non ingratum fore subiectiss. cogi-
tatione duxi, si illam à me habitam Ora-
tionem diligenter recognitam (cum per-
missu Magnifici V. Rectoris placuisset
expressam typis edi) Vestrae Illustriss.
Celsitudini peculiari attributione dedica-
rem. Nam & illi lectionem ita expedi-
torem, & hanc omnino nequaquam iniu-

A 3 cundam

E P I S T O L A

cundam futuram esse confidebam. Quod factum subiectiss. obsequij meum, ut in optimam illustriss. vestra clæmentia partem accipiat, subiectissimæ demissionis studio enixè oro: Utq; vestra illustriss. celsitudo, de sua clæmentiss. affectione erga Academiæ uniuersæ corpus aliquid illustriss. fauoris in me quoq; deriuari benignissima inclinatione patiatur: Sibiq; persuadeat, si quid illustriss. celsitudini vestræ à mea humili tenuitate illi inseruendo officij forte præstari possit, in eo me quauis occasione omniq; tempore, subiectiss. sedulitate daturum esse operam, ut perspiciatur obseruantia & cultus mei promptissimus famulatus. Ad ipsum autem Orationis habitæ opusculum quod attinet, etsi est expositio neq; tam copiosa quam magnitudo rerum, neq; tam ornata, quam eius de quo pronuntiata est,

illu=

DEDICATORIA.

illustriſs. virtus, & laudibus cumulatum
nomen poſtulat: non tamen prorsus indi-
gnam eſſe ſpero, cui legendæ aliquid tempo-
ris impendatur. Sed de hoc me diſſerere non
conuenit. A veſtra illustriſs. Celſitudine
ſubiectiſs. peto, vt illustriſs. clæmentia ſua
fauore me complecti illa, & in ijs numera-
re, qui ipſi ad inſeruiendum pro uirili ob-
noxie ſunt ſubiectiſſima aſſiduitate para-
tiſſimi: Atq; ſic illustriſs. excelſitatis ſua
ſublimem principatum eminere uelit, vt
inferioris conditionis humilitatem ample-
xando ac tuendo, munificæ benignitatis
prædicatione glorioſa celebretur. Veſtræ
illuſtriſs. adoleſcentiæ curriculum vt Deus
propitiuſ euadere faciat, tota mente pre-
cor, ad ſanctiſs. nominis ſui inprimis glo-
riam atq; laudem, & Eccleſiæ Chriſti in-
crementum, & fructuoſum Reipub. Or-
namen-

EPIST. DEDICATORIA.
namentum. V. Illustriss. Cels. bene & fe-
liciter valeat. Scriptum Lipsiae D.
XIX. M. Quintilis. An.

Illustriss. Celsitudini V.

Subiectiss. addictus

Johannes Albinus
M.

ORATIO IN
ANNIVERSARIA
MEMORIA LVCTVOSIS-
SIMI OBITVS ILLVSTRISS. ET
FORTISSIMI PRINCIPIS D. SAXON.
MAVRICII, VNIVS EX SEPTEM-
viris Imperij Romani.



*Ursum iam vertente an-
no ea dies illuxit, qua præstan-
dum est mæstissimum officium, & tri-
stissima tribuenda opera, magno illi &
Illustrissimo Principi D. Saxon. Mau-
ricio, septemuiro creandis Imperatori-
bus, quem ante annos decem & nouem,
sibi quidem ad omnem posteritatis memoriam gloriosam, nobis
vero à cuius incolumitate nostra in terris salus pendeat, grauif-
simam luctuosissimamq; mortem, dum patriæ in extremis pericu-
lis constitutæ opem ferre cupiens, in acie fortissimè dimicat, op-
petisse ingente cum dolore recordamur. Et hæc quidem ut quasi
iusta sepulcri soluamus Principi summo, patriæ Conseruatori, &
(nec enim differre bonum Principem à bono patre sapiens ille
scripsit) parenti nostro vnico, Ipsa nos pietas hortatur, iubet
Illustriss. Principis Electoris Augusti fratris institutum, im-
pellit magnitudo meritorum, quibus ab ipso uiuente cumulatis-
simè sumus affecti, quæ certè, cum à nobis præstari nihil possit
aliud, prompto studio, commemorationeq; crebra verborum in me-
B moriam*

moriam reuocanda, atq; gratis animis celebranda sunt. Quid?
 quod ratio doctis, & lex barbaris, etiam qui animum immorta-
 lem esse negarunt, persuasit: Viros illustres & præstantes, qui
 optimè de Repub. essent meriti, postquam ex hac vita migras-
 sent, non tantum honore sepulturæ afficiendos, & digno laudis
 præconio decorandos, sed & monumentis erectis posteritati com-
 mendandos esse. Itaq; legibus apud Athenienses constitutum
 fuisse accepimus, ut Orationes haberentur funebres, quæ lauda-
 tionem mortuorum complecterentur, & iisdem statuæ monumen-
 taq; ponerentur, vt & animorum hoc modo affectio erga de-
 functos declararetur, & superstites specie virtutis incitati, ad
 simile decus & laudem contenderent. Nescio etiam quo modo
 fiat, vt quando post obitum mentionem honorificam fieri audi-
 mus eorum, quos ob virtutes eximias, & singularia merita su-
 speximus, atq; admirati sumus, quorumq; desiderio tenemur, a-
 nimus recordatione illa suauitate quadam afficiatur, & iucun-
 dissime acquiescat. Cum autem ita visum esset Magnificis &
 Clarissimis Viris, qui rebus Academiæ nostræ summa cum di-
 gnitate præsent, vt hodierno die à me aliquid in hoc solenni Con-
 uentu, de Principe MAURICIO verborum fieret, etsi
 & ingenij tenuitas, & doctrinæ inopia, ab hac me absterrere di-
 cendi prouincia poterant, morem tamen gerendum esse ijs duxi,
 quibus non solum parere æquum, sed & refragari nefas esset.
 Atq; extant Orationes nunquam satis laudatæ, quas ex hoc lo-
 co superioribus annis recitari audiuius, in quibus genere ser-
 monis illustri, & exquisita rerum verborumq; Copia ac Elegan-
 tia, tam de laudibus illustrissimæ familiæ Ducum Saxonie, in
 qua nihil non maximum & laudatissimum reperitur, quam de
 fortissimè felicissimèq; domi, forisq; gestis Principis Mauricij,
 eius

eius sapientia, virtute, amore patriæ, constantia, fide & hu-
 manitate, Ita differuntur omnia, vt nihil cogitari possit melius
 aut præclarior. Ego quidem, si Oratione, ut à me componi
 potuit, tenui, minimeq; ornata, repetendo ex ijs quedam, quæ
 ad propositum nostrum facere visa sunt, huc afferrem, non pu-
 tavi fore, vt in reprehensionem inciderem, præsertim cum pro-
 nuntianda illa sint, coram Vestra Magnificencia, amplitudine,
 præstantia & humanitate, Magnifice V. Rector Academiæ
 nostræ, Viri amplissimi, præstantissimi & humanissimi, Vosq;
 optimarum artium studiosi adolescentes, qui vniuersi de nostris
 conatibus æquissimè iudicare consueuistis, deq; quorum fauore,
 beneuolentia, humanitate, optima quæuis mihi polliceor. Sa-
 nè neq; mihi, neq; vt opinor, alteri cuiilibet mei Ordinis homini,
 expeditum esset, vel tolerabiliter saltem aliquid in medium de
 Principe MAURICIO proferre, si non occasionem disse-
 rendi de quibusdam præberent, & quasi materiam suppeditarent,
 ornatissimæ illæ, quarum modo mentio facta est, Orationes.
 Quo enim tempore in acie Victor occubuit Illustrissimus Prin-
 cept, non ea nostra fuit ætas, & iudicij perfectio, vt cogitatio-
 nem de ijs, quæ tum gererentur, suscipere, aut de his etiam in-
 quirere licuisset. Hoc saltem, priuatorum hominum in his lo-
 cis statum memoria mihi repetenti, velut ante oculos non sine
 iucunditate quadam uersatur, quæ multitudinis tum fuerit erga
 hunc suum principem affectio, quæ plena spei fiducia, quam tran-
 quillis animis etiam ea quæ periculo publico non carere uideban-
 tur, pleriq; contemserint, quasi Principe Mauricio saluo, non
 posset quisquam illorum, qui ditioni huius subiecti essent, in ul-
 lum discrimen adduci. Huius freti animi magnitudine, sapi-
 entia, & felicitate, se suasq; fortunas, Contra omnem vim & ho-



4

stilem impetum satis tutas esse⁴ arbitrabantur, neq; quicquam posse tam graue incidere, quod non ille propulsando auerteret. Atq; hanc subditorum de Principe MAURICIO opinionem, certius postea declarauit inopinatus illius obitus, quo non tantum ij, qui intelligebant, & considerabant pericula publica, atq; discrimen in quod respub. eo adempto esset deuentura, mirabiliter sunt perculsi, sed etiam infima plebis homines, subita consternatione tantum non sunt exanimati. Memorabatur tunc, eos qui in pagis vitam degunt, ubi fama perlatum est, Principem Mauricium globo traiectum esse, mirifice animis fuisse deiectos, atq; claro eiulatu, quacumq; nuncij huius cladis iter facerent, suum dolorem declarasse, non aliter ac si parente priuati, deinceps in Orbitate vitam traducturi essent. Sed & hoc constabat, quosdam, magna vi lacrimarum profusa, luxisse Mauricium, qui antea, vt fit, quodam animi errore minus recte de eo senserant. Fuit nimirum tum deniq; intellectum, quantum praesidij & spei rebus communibus ereptum esset, qualemq; omnino defensorem propugnatoremq; patriae habuissemus, quando è vita ille excessit. Sic enim fieri consuevit, vt quae in nostra potestate sunt bona, minus scilicet curentur, neq; prius illorum praestantia aestimetur, quam cum è manibus quasi erepta requiruntur. Princeps quidem MAURICIVS, si vita ipsi concessa fuisset longior, haud dubie sinistras omnes ex animis maleuolorum, si quae in ijs resedissent, opinionones, splendore virtutis ingente, qui indies magis magisque crescebat & augebatur, exemisset, & ad sui admirationem traduxisset. Animaduertebatur, quae hic heros ageret, susciperet, moliretur, vera fieri ratione, & proposito laudabili, & ad quietem, tranquillitatem atq; etiam ornamentum reipub. comparandum, ad priuatorum quoq;
fortu-

5

fortunas stabiliendas esse directa vniuersa. Animi moderatio, mansuetudo, & incredibilis in summa potestate clementia in oculos incurrebat omnium. Intelligebatur quomodo, vt fortis & strenuus bellator, & dux patriæ amantissimus, se suosq; tu- tando defendendoq; vitam in discrimen abicere non dubitaret. Accedebat rerum cum summa felicitate gestarum gloria, nomi- nis in exteris regionibus celebritas, fama cum insigni victoria sepe caesorum hostium, Turcarum metus & fuga ipsum Mau- ricij nomen extimescentium. Hæc autem eò erant illustriora, quo magis geri omnia & administrari intelligebantur, non vana quadam cupiditate & temeritate, qua se sine caussa periculis ob- iiceret, sed virtute & incitatione naturæ impellentis ad aliquid perficiendum memorabile & præclarum, planè admirabili & di- uina. Atq; haud scio, an hac ille solus, si verè iudicare volu- mus, non modo eos duces qui superioribus temporibus uixerunt, Sed antiquissimos etiam bellatores superasse uideatur. Equidem de eccellente virtute & præclarissimis facinoribus Principis Mauricij dum cogito, venit mihi in mentem veterum Germa- norum, qui olim cum Romani rerum potirentur, has terras in- coluerunt. Fuisse eam gentem acerrimam atq; bellicosissimam, & ad sua defendenda, seruitutisq; turpitudinem auertendam a- nimo egregio, nemini potest esse dubium, consideranti, & quæ de ipsis memoria prodita sunt, & felices bellorum, quos multis secu- lis habuerunt, euentus. Et eò magis miror, ab alijs nationibus Germanos, etiam tum cum dignitas Imperij Romani ad eos translata est, tanquam barbaros contemptos fuisse, cum tot ha- buerint fortissimos præstantissimosq; Duces & Imperatores, cum quorum præclarè gestis, exterarum gentium, potentissimorum populorum, clarissimorum regum res gestæ conferri minime pos- sunt.

sunt. Hoc quidem constat, vetustissimos Germanos, quorum vita in studijs rei militaris, propterea quod assiduis bellis à finitimis nationibus lacefferentur, tota consistebat, neq; eruditionem litterarum coluisse, neq; ad vitam paulò elegantius degendam assuefecisse suos, cultum etiam agrorum, cum semper in armis esse cogerentur, neglexisse. Vnde factum est, vt Germania multis in locis esset deserta, & incolæ pro immanissimis ferocissimisque populis haberentur, qui ferarum animantium quam hominum essent similiores. Quare & Galenus Medicorum princeps, suos de Medicina libros, non minus Germanis, quam vrsis, apris, leonibus, alijsue eiusmodi feris bestijs scriptos esse, pronuntiare ausus est. Pleriq; alij existimauerunt, Germaniam regionem totam esse incultam & vastam, vbi cum radijs illa solaribus non illustretur, sit perpetuum frigus, solum ad arbores frugiferas producendas minimè esse idoneum, carere omnibus metallis. Quantis uerò inculta hæc, vt olim uisa est, regio, admirabili prouidentia diuina benignitate, quamq; multis & preciosis donis decorata aliquanto post, locupletataq; sit, est ante oculos. Nusquam non splendidissimis & pulcerrimis ornata exædificataq; est vrbibus, quæ eruditione litterarum, copiaq; bonarum artium & disciplinarum sunt florentissima, vt taceam veritatis celestis puram doctrinam, quæ Hespero & lucifero clarius in Germania lucet. Adhæc tam opima est, tam fertilis, vt vbertate agrorum, varietate fructuum, amœnitate locorum, facile compluribus alijs terris antecellat. Colles in diuersis locis vitibus sunt fœcundi, omnis generis metalla præbent fodina. Aëris est mirifica, in quadripartitarum anni vicissitudinum temperie, salubritas. Deniq; quot ab hac nobilissima natione, summi principes, & exercitatissimi bellatores prodierunt, quorum

rum monumenta & trophæa in omnibus orbis terrarum partibus cum perpetua nominis gloria conspiciuntur. Neq; uero dubium est, quin si veterum Germanorum tempore, studia humanitatis & doctrinæ in Germania culta fuissent, quemadmodum in Græcia tum, & apud Romanos, eaq; fuisset copia eruditorum hominum, qui res gestas principum Germanorum litteris mandassent, quin inquam futurum fuerit, ut Fabios, Scipiones, Caesares, quorum bellicæ laudes, omnium penè gentium litteris ac linguis celebrantur, Germani uel æquarent uel etiam superarent. Domuerant Romani gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, Sed Germanos, quamuis assiduis bellis eos infesti peterent, finibus suis armata vi penitus expellere, suoq; subijcere imperio nunquam potuerunt, Imò grauissimis sæpe cladibus ab his sunt affecti. Nota est, & à Romanis quoq; scriptoribus celebrata memorabilis illa victoria, quam cum Romanis exercitibus congressus obtinuit Arminius princeps Cheruscorum, quos fuisse inter Salam & Harciniam syluam versus Goslariam, non dubium est. Occuparant iam aliquam Germaniæ partem Romani, & liberius euagati, effuderant se cum instructissimis copijs, duce Quintilio Varo, in eam oram, quæ hodie Westphalia appellatur, ubi incolas excursionibus assiduis agitados, bello premebant. Arminius, qui quidem dux Saxoniam fuisse perhibetur, hostes in propinquo esse animaduertens, cum suo exercitu alacriter ipsis obuiam progreditur, ac signis ad hostes conuersis, acieq; directâ, cum summa vi utrinq; pugnatum esset, acerrimo tandem conflictu Romani uicti sunt, cassis plusquam uicies millibus fortissimis Romanis, & omnibus auxilijs peregrinis trucidatis. Commissum esse prælium scribitur in ea Westphaliæ parte, ubi hodie est
vrbs

vrbs Padeborna, post Christum natum anno XII. aut circi-
 ter, Q. Sulpicio, & Poppeo Sabino Coss. Ac tantus metus inie-
 ctus esse ob acceptam hanc cladem Romanis traditur, ut in summa
 perturbatione animorum, quid agendum suscipiendumq; contra
 hostes esset, dubitarint, veritiq; sint, ne, ut olim Cimbri, ulterius
 progressi Germani, totam Italiam cadibus & vastationibus de-
 popularentur. Ipse Augustus Caesar tantoperè perculsus fuisse
 fertur, ut omnes in armis esse iuberet, legionesq; deuictas, à
 Quintilio tanquam præsente, aliquoties alta voce cum lacrimis
 reposceret. Quantam virtutem gentis Saxonica veteris fuisse
 necesse est, quam Carolus Imperator, quem Augustum primum
 Franci habuerunt, vix tandem, euerso regno Longobardorum
 in Italia, atq; domitis multis atrocissimis populis, repressis Scla-
 uis, Hunnis ad internecionem cæsis, Saracenis tota Gallia pulsis,
 per annos triginta tres uaria bellorum fortuna, suo imperio sub-
 iicere potuit. Præstitisse tum apud Saxones præcipua potentia
 memoratur *Videkindus*, vir animi magnitudine ac robore, ar-
 teq; & usu belli inuictissimus, quem non tam vi armorum, quam
 lenitate & mansuetudine expugnatum, ad uerae religionis profes-
 sionem suscipiendam Carolus adduxit, à quo postea multi summi
 Imperatores, & Illustrissimæ familiae ducum Saxonie, & Mar-
 chionum Misnie suam traxerunt Originem. Quot porro, post
 Carolum, cum iam imperium Romanum tanquam de collectis ta-
 bulis ex naufragio trecentorum annorum restitutum, atq; optimis
 legibus ornatum esset, Imperatores celeberrimi in Germania flo-
 ruerunt? Quæ tanta fuit veterum Græcorum Romanorumue,
 in suscipiendis expeditionib. animi magnitudo, quæ in bellis asper-
 rimis conficiendis felicitas, quæ victoriae, quas non, si non supera-
 runt, certè æquarunt nobilissimi illi, felicissimiq; Henrici, Ottho-
 nes, Fri-

nes, Friderici? qui res maximè arduas, & toti Europæ utiles armis
 zogaq; gerendo, immortalē nominis & famæ gloriam consecuti
 sunt. Nemo non ad celum laudibus effert C. Iulium Cæsarem, quod
 disiunctissimas terras peragrando, suis eas victorijs illustrauerit,
 quodq; signis cum hoste collatis quinquagies pugnauerit: At Henri-
 cus Quartus Imperator Germanus, fortissimus & bellicosissimus, pa-
 triaq; amantissimus, expertus difficultates asperrimarum aduersati-
 onum, sexagies bis in acie dimicauit. Fridericus primus Imperator,
 præter multas alias memorabiles victorias, exiguo temporis interual-
 lo, copijs non magnis Saladinum Ægypti Sultanum, qui tota ferè
 Syria in ditionem accepta, multos Christianorum exercitus fuderat,
 atq; tota Asia potiturus uidebatur, commissis aliquot prælijs, cum
 omni suo exercitu victum in fugam coniecit, atq; ipsi, cum antea in-
 uictus esse existimatus fuisset, tantum terroris incussit, vt rebus de-
 speratis, munitarum urbium deiceret propugnacula, arcesq; demoli-
 retur, & Asia cum suo exercitu excederet. Dies me deficiat, si quæ à
 reliquorum Germaniæ Imperatorum aliquibus animo ingente, sapi-
 entia summa, successu incredibili, confecta bella, expugnati populi,
 subactæ regiones sint, Oratione uelim persequi, neq; id omnino necesse
 est. Quid autem dico de Imperatoribus, cum Principum quorundam
 Germanorum, tanta fuerit præstantia, vt optimo iure, cum summis
 regibus conferri posse uideantur. Quanta fuit in Carolo Burgundiæ,
 superiorum temporum inclito & nobilissimo duce, ex uetustissimis
 Germanis oriundo, rerum gestarum & omnium virtutum excellen-
 tia? Quanta in Alberto auo Principis Mauricij, quem manum
 dextram imperij fuisse cognominatum scimus, quo adiutore & parti-
 cipe, multa bella à summo Imperatore Maximiliano, ardua illa qui-
 dem & difficilima, sed quæ tamen fortunatos & gloriosos habuerunt
 euentus, administrata confecta, sunt, & splendidissima partæ victo-
 ria.

ria. Utinam autem Germani nostri uel exemplis maiorum adducti uel multiplicibus moti periculis, quæ à peregrinis hostibus nostris ceruicibus imminet, rerum suarum maiore attentione curam susciperent, & pro communis patriæ defensione vires suas coniungerent. Inuidium esset robur Germaniæ, si non moribus externis inuectis effœminari se adeo nostri, virtutemq; & grauitatem antiquam penitus obsolescere paterentur, aut intestinis dissensionibus & odijs se mutuo conficerent. Verum quia minus iam suas virtutes admirantur nostri, & propria bona curant negligentius, atq; ab illa integritate maiorum recedunt, ardor ille animorum, & grauitas atq; constantia Germanorum natiua ac propria, paulatim eneruantur, atq; hostes externi, quos contempsissent potius nostri veteres, quam vi armata repulissent, Germaniam populantur, uastant, diripiunt, ac tantum non sub seruitutem, cum summo gentis & nationis olim laudatissimæ probro, sibi subijciunt. Sed hac de re dicenda plura non sunt, & querelis nihil efficitur. Redeo ad Mauricium. In hoc Principe magis quam in ullo, quorum res gestas audiuius aut legimus, similitudo heroica, & planè diuinæ virtutis & fortunæ eminuit. Hunc si fata non ostendere terris tantum, sed in illo quem gubernationis suæ tempore quantumuis breui habuit, rerum maximarum successu prouehere, & hac lucis usura diutius frui uoluissent, fortitudinis Germaniæ decus penè amissum recuperare, rem Germaniæ impulsam ac ruentem sustinere, summamq; iustitiæ & bellicæ laudis opinionem, quam veteres habuerunt, vel solum reuocare potuisse, quid est quod cuiusquam animum dubium facere possit? Si aliquis ante oculos ponat, quas per annos undecim, quibus gubernationi patriæ princeps Mauricius præfuit, inuictissimo animo fecit duxitq; expeditiones, si animo complectatur contentionum in quas delatus fuit, certaminumq; magnitudinem ac varietatem, nec non bellorum dissimilitudinem, & hæc consiendi ce-
lerita-

leritatem, facile intelliget, nulli summorum Imperatorum principem
 Mauricium inferiorem fuisse. Audiuntur etiamnum à quibusdam
 præstantibus viris, rerumq; bellicarum in primis peritis, mentione de
 Principe Mauricio facta, sæpenumero sermones eiusmodi, quibus
 huic principi virtutis cuiusdam planè admirabilis, & humana altio-
 ris præstantia, titulusq; gloriosi bellatoris tribuitur. Testis est rerum
 cum insigni laude præclarissimè gestarum Pannonia, in quam non
 commodi, aut emolumentum alicuius spe inuitatus, sed tantummodo pa-
 triæ respectu motus, & laudum quasi stimulis incitatus, exercitu ad-
 ducto, crudelissimis sæuissimisque hostibus Turcis, nostro orbi, capitibus,
 & fortunis, inexplebili sanguinis Christiani siti imminentibus spontè
 bellum fecit, nec armis modo eos felicissimè repressit, sed uel solius no-
 minis terrore reiecit & fugauit. Testis est Gallia, quæ ipsius animosi
 pectoris robur, omnia pericula difficultatesq; despicientis, aliquoties
 est experta. Testis est ipsa Germania, quæ optimum & innocentis-
 simum principem, grauissimis casibus, & flammis belli atrocissimis ob-
 iectum, durissimè exercuit, dum hoc unum neglectis omnibus iniurijs,
 & offensionibus postpositis egit, ut ingrata patria pacem & liberta-
 tem consequeretur, splendoremq; pristinum recuperaret. *Εν δυστυχίαις*
λάμπει τὸ καλὸν inquit Aristoteles, significans ueram uirtutem &
 animi magnitudinem in rebus difficilissimis & desperatissimis manife-
 stius sese exerendo, conspici admirabiliorem. Quemadmodum enim
 margaritæ in conchis marinis è rore celesti natæ, lucidiores pulcrio-
 resq; fiunt, si tempestatibus crebrius, & fluctuum impetu Conchæ con-
 cutiantur, sic animus uiri fortis in casibus aduersis est excelsior, &
 uirtutis magis per ipsas lucet ærumnas decus. Nunquam fuit præ-
 sentiore & magis infracto animo princeps Mauricius, quam cum in
 difficilissima negocia, resq; maximè perplexas delatus, varia est iacta-
 tus fortuna, atq; multos potentissimosq; habuit aduersarios, quibus
 C 2 tamen

tamen casibus fortiter sese opponendo, consilio, industria, uigilantia, sustinuit & euicit, quæ nulla humani ingenij solertia euinci posse uidebantur, atq; semper regia via, directoq; itinere, quo eum nature præstantis ardor, & conscientia rectæ voluntatis ducebat, progressus, ex molestissimis & inuidia plenis negotijs ita sese expediuit, ut laudem & prædicationem sapientiæ summæ, & uirtutis eximie tandem sit promeritus. Ut autem in ipsis negotiorum & rerum aduersarum fluctibus animo fuit præsentissimo & constantissimo, qui difficilius ab honesto proposito, quam Sol à suo cursu dimoueri potest: Ita rerum secundarum splendor, & successuum incredibilis felicitas, minimè insolentem reddidit. Auxerat accessione honoris insignis Illustrissimam suam familiam, & expeditionibus celeberrimis eas res aggressus aususq; fuerat, ac gesserat, quas alteri animo concipere, & cogitatione explicare difficile fuisset, uerum iustitia, mansuetudo, comitas, facilitas, & uirtutes aliæ mitiores tantum abest ut immutata in eo sint, ut uisæ indies magis magisque etiam fuerint illustriores. Quod uerò non potest non in principe iuueni mirum uideri, nihil mox primo gubernationis tempore Principi Mauricio fuit prius aut antiquius ueræ religionis cura, studioq; stabiliendi & integrum præstandi sanctæ Ecclesiæ statum, ac scholarum, quæ quasi palæstræ sunt educationis liberalis, & doctrine optimarum artium & disciplinarum. Alexandrum Magnum aliquando exclamasse ferunt: Quantos labores perferimus, ut Athenis benè in theatro audiamus. At quanto præclarius fecit noster Princeps Mauricius, qui non inanis ostentationis causa bella gessit, sed ad propagandam Dei æterni gloriam, & Ecclesiam sanctam ornandam atq; augendam. Huius causa expedita sunt arma ab ipso, suscepti labores, adita pericula, tolerata difficultates. Huc omnes suos conatus, omnes uictorias contulit. Declarant id fundationes eximie scholarum illustrium & templorum in plurimis
sue di-

suae ditionis partibus. Nec obscura est munifica liberalitas in nostram
 Academiam collata, qua adhuc fruimur, quaeq; à nobis, ut par est,
 perpetuo celebrabitur. Quam diu uisum fuit Deo aeterno, suum in ter-
 ris cursum confecit princeps Mauricius, & suis quasi humeris Ger-
 maniae dignitatem & praestantiam, quoad licuit, sustinuit, se, ditio-
 nem atq; subiectos potestati suae, quorum sibi salutem & incolumita-
 tem diuinitus commendatam, esse sciebat, fortiss. contra omnes im-
 pressionem hostiles asseruit, & tutatus est. Religionis uerae statum,
 & optimarum disciplinarum studia atq; dignitatem prouexit, auxit,
 ornauit. Saepe in conflictu cum hostibus, dum ingente & omnes casus
 paruipendente animo cum illis congregitur, mirabiliter fuit protectio-
 ne diuina defensus & seruatus. Ac uerè potuisset esse Germaniae de-
 inceps contra omnes hostes ἐπεὶ ἔειπε, ut Poëtae duces magnos
 nominant. Sed quia ab ingrato mundo Deus, cuius iudicia, ut aquis-
 sima ita occulta sunt, ob multiplicia nostra delicta, poenas, tanto duce
 erepto, reposcere uoluit, & suus cuiq; uitae terminus est praefixus,
 non potuit postrema & calamitosissima expeditio perfici, quin simul
 Princeps Mauricius, qui suos, imò totam Germaniam ab impenden-
 tibus liberare periculis cogitabat, in acie occumberet, & ita conten-
 tiones ipsius summae corruerent, prius in ipso cursu fractae, quam por-
 tum prospectum contingerent. Ipsum quidem Principem Maurici-
 um, nequaquam atrocissimum hunc casum dolenter tulisse, ex ijs quae
 tum ubi mortem obiit, peracta esse leguntur, apparet. Fuit enim ut in
 tota sua uita, ita & in hoc mortis articulo fortissimus & constantis-
 simus. Et quanquam summis eum cruciatibus ob acceptum uulnus
 torqueri necesse fuerit, altum tamen premens corde dolorem, & quae
 ad reliquum belli conficiendum facere uiderentur, & quae post suum
 obitum fieri uellet, indicando, mandandoq; sapienter & religiose con-
 stituit, ut facile intelligeretur, non de sua eum salute, ut qui libens e-

terris excedere cuperet, sed de patriæ incolumitate, quam vita sua
 cariorem habuerat, esse sollicitum. Sic igitur tum princeps ille ma-
 gnus & memorabilis exempli, ereptus mundi fraudibus & pericu-
 lis, occidit, sed ita occidit, ut memoria illustris, & rerum gestarum
 gloria nunquam sit intermoritura. Virtus quæ nec eripi, nec surripi
 potest, nec incendio nec naufragio amittitur, nec tempestatum, nec
 temporum uarietate mutatur, viros præstantes communi conditioni
 eximit, atq; efficit, ut tum in ore omnium sint & celebrentur, cum vi-
 tæ munere sunt perfuncti. Quorum quidem mors vita rectius, quam
 illa, quæ corpore & spiritu continetur, nominanda est. Viuet prin-
 cipis **M A V R I C I I** virtus, viuet nominis celebritas, & glo-
 riæ splendor in his terris semper. Nulla unquam ætas de ipsius lau-
 dibus conticescet, tota posteritas, & quidem haud scio an incorrupti-
 us, eum suspiciet & admirabitur. Tunc etiam suæ pietatis, laborum,
 & in fide constantiæ præmium consequetur, cum ipsi ueræ victoriæ
 Coronam ἀμάρτυρων imponet filius Dei, Dominus noster **I E-
 S V S C H R I S T V S**, quando in læto illo die ad iudicium
 venturus est, decreturus præmia uel pœnas, pro eo ac debebuntur
 unicuiq;. Nos quidem qui & uiuentem Principem Mauricium co-
 luimus & sumus admirati, & ipsius immortalis laude dignis beneficijs
 nobis præstitis fruimur, id quod possumus, officium præstamus, ut
 mortuum ob hanc pietatem, quod sanguinem pro salute suorum sub-
 ditorum profundere non dubitarit, memoriam cum tristi quidem de-
 siderio, sed non minus tamen grata alacritate prosequamur & cele-
 bremus, id quod ab Academia nostra hætenus factum fuit, & dein-
 cept studiose Dei æterni benigno fauore, est futurum. Quod super-
 est, agenda sunt gratiæ, quas mens nostra concipere potest, maxi-
 mæ, Deo æterno Patri Domini nostri **I E S V C H R I S T I**,
 pro inenarrabili sua erga nos miserrimos homines bonitate & miseri-
 cordia,

cordia, quod lucem Euangelij & optimarum disciplinarum & artium, inter tot confusiones, clementissimè conseruat, & alia beneficia summa in nos confert, inter quæ vel maximum est, quod Principi Mauricio decedenti & terras deserenti, succedere in gubernatione uoluit, Illustrissimum & sapientissimum Principem AVGVSTVM, Dominum & vnicum Patronum ac Parentem nostrum, in quo sunt, vt in Principe MAURICIO, summa omnia, cuius clementissima gubernatione, in his difficilimis & periculosis temporibus, placida quiete, & tranquilla pace vita fortunæ ipsius terræ incolarum defenduntur, pietas religiosa & ueneratio sancta Dei frequentatur, exercentur liberales artes & disciplinae, & multiplicia commoda omnibus conciliantur. Deus æternus hanc nobis felicitatem diuturnam & longinqui temporis esse uelit, atq; præpotente manu sua, & propitio fauore, Illustrissimi Principis vitam, salutem, incolumitatem, ad Reipub. & harum terrarum tutelam atq; custodiam, diutissimè tueatur, & conseruet, ac felicitate perpetua augeat, id quod toto eum pectore precamur. Idem clementissimus Deus benignitate sua, & misericorde manu, Germaniam, in qua uoluit ueritatem cœlestis doctrinæ oriri & celebrari, protegat ac defendat, nec vastitatem & barbariem in his terris fieri sinat, propter nomen sanctum ipsius, & semper inter nos cœtum aliquem colligat, à quo laudetur & celebretur, ipse Pater Domini nostri IESV CHRISTI, cum Filio suo, Domino nostro IESV CHRISTO, & Spiritu sancto, vnus, solus, uerus, æternus, iustus, sanctus, fortis, immortalis, misericors Deus, cuius est omnis laus, honor, gloria, regnum, uictoria, potestas, sæculis infinitis,
A M E N.

Dixi.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.

100



Vc. 2751. 8

ULB Halle 3
002 691 590




St

Reber ✓

M.T.







Oratio

ANNIVERSA

MEMORIA LV
SISSIMI OBITVS IL
RISS. ET FORTISSIMI
RINCIPIIS D. SAXON.

MAVRICII, vnus ex Septem-
uiris Imperij Romani;

ium bonarum Magistro

ANNE ALBINO

ni conuentu ad id ipsum indicto,
onuntiata D. XI. M. Quin-
tilis. An. Christi Iesu

M. D. LXXII.



LIPSIÆ

Iohannes Rhamba excudebat.

70./



XVI.